



NUPTIAE ABDERITANAE

Titulus originalis: „Die Kleinbürgerhochzeit“

Comoedia Bertholti Brecht (1898-1956) a.1919 scripta, primum acta est d.11. m.Dec. a.1926 Francofurti ad Moenum (in theatro, quod appellatur „Städtische Bühnen, Schauspielhaus“, cfr Jan Knopf, Brecht-Handbuch, Theater, Stuttgart 1980, p.26; 28), a.2000 a Nicolao Groß e Theodisco in Latinum sermonem conversa.

DRAMATIS PERSONAE

Pater sponsae. Mater sponsi. Sponsa. Eius soror. Sponsus. Eius amicus. Mulier. Eius maritus. Iuvenis.

Conclave dealbatum, cuius in media parte stat magna mensa retriangula. Supra eam rubra lanterna chartacea. Novem lignea arcisellia lata, simplicia. Ad parietem: a dextris stibadium et a sinistris armarium. Iisdem interposita est ianua obvelata. In recessu, a sinistris humilis mensula fumatorum cum duabus sessibulis. A sinistris, in latere ianua. A dextris, in latere fenestra. Mensa, sellae, armarium non sunt polita, colore naturali. Vesper est. Lanterna rubra flagrat. Ad mensam sedent convivae nuptiales et comedunt.

MATER *apponit*: Ecce gadus.

Ceteri murmurant assentientes.

PATER: Hic piscis monet me rei memorabilis.

SPONSA: Heus comede, pater! Semper nimis pauca tibi restant.

PATER: Sinas narrem! Beatus tuus avunculus, qui in confirmatione mea – sed haec est alia narratiuncula – ergo, piscem comedimus, omnes una, et subito aliquid haeret in avunculi faucibus – spinae istae maledictae, cavete – ergo – haeret aliquid in eius faucibus, ut idem incipiat circumagitare manûs pedêsque.

MATER: Iacobe, sume caudam piscis!

PATER: ...circumagitare et colorem mutare tamquam cyprinus, qui coquitur, ut hyalus vini depelleretur et nos horribiliter terreremur, dorsum eius pulsatum est tamquam tympanum, et idem eructavit super totam mensam. Cibi non iam sunt comesi – quo nos delectati sumus, nos postea eos sôli foris comêdimus – equidem fui confirmandus – ergo super totam mensam, et ille, feliciter restitutus, dixit voce perquam gravi et felici – erat ei bona vox bassa, particeps erat sodalicii cantorum – de quo quoque nôvi rem delectabiliter narrandam – ergo dixit:

MATER: Heus, quomodo sapit piscis? Cur nemo hoc dicit?

PATER: Optime! Ergo ille dixit: -

MATER: At tu ne frustulum quidem comedisti!

PATER: Ita, nunc comedam. Ergo ille dixit:

MATER: Iacobe, sume frustum alterum!

SPONSA: Heus mater, pater narrat!

PATER: Gratias ago. Ergo gadus, ah sic fuit, ille dixit: ‚Heus liberi mei, paene aliquid haesit in faucibus meis.‘ At omnes cibi erant inedibiles.

Ridetur.



SPONSUS: Sophôs!

IUVENIS: Narrat bellissimê!

SOROR: At nunc non iam comedam piscem.

SPONSUS: Ita, anseres numquam pisces comedunt. Nil nisi herbas.

MULIER: Lampas num nondum est perfecta?

SPONSA: Ina, si piscem comedis, depone cultrum!

MULIERIS MARITUS: Lampades sunt indecôrae. At haec lanterna satis decet.

SOROR. Quae est multo magis romantica!

MULIER: Licet sit, sed illi ipsi non sunt tales.

AMICUS: Hoc lumen quadrat ad gadum!

IUVENIS (*ad sororem*): Sicine videtur? Placentne tibi romantica?

SOROR: Placent. Valde. Praecipuê carmina *Henrici Heine*. Qui habet faciem tam bellulam!

PATER: Qui mortuus est tabe medullae dorsalis.

IUVENIS: En morbum terribilem!

PATER: Aliqui frater patru *Weber* vetuli laboravit istôc morbo. Horribile erat audire eum de morbo narrantem. Qui eum audiverat, non potuit dormire nocte sequenti. Exempli gratia narrabat...

SPONSA: Ah, pater, hõc non decet!

PATER: Quid?

SPONSA: Tabes medullae dorsalis!

MATER: Sapitne tibi, Iacobe?

MULIER: Nobis perbene. Hodiernâ nocte certe bene dormiemus!

AMICUS *ad sponsum*: Bene tibi, vetule emptor!

SPONSUS: Bene vobis omnibus!

Propinatur.

SOROR *ad iuvenem, submissê*: H a c occasione!

IUVENIS: Num dedecet? *Submissê inter se colloquuntur.*

MULIER: Aliquid bene olet!

AMICUS: Ah! Haec fragrantia me inebriat!

MATER: Sponsus nobis donavit dimidiam lagoenam Aquae Coloniensis.

IUVENIS: Quae fragrat excellentissimê. *Colloquitur cum iuveni puellâ.*

MULIER: Revera omnes suppellectiles construxistis vestro Marte? Num armarium quoque?

SPONSA: Omnes. Maritus meus easdem descripsit, delineavit, tabulas êmit, runcinavit, omnia ipse fecit, et deinde conglutinavit, omnes supellectiles, necnon decôrae sunt.

AMICUS: Splendidae sunt. Quando vacasti his omnibus faciendis!

SPONSUS: Vespere, meridie, interdum meridie, sed plerumque mâne.

SPONSA: Hic omni mâne surrexit horâ quintâ. Et laboravit!

PATER: Heus bene laboravit. Equidem semper dicebam ‚Dabo vobis supellectiles.‘ At is non accepit. Similiter se gerebat *Iohannes Segmüller*. Is enim...

SPONSA: Volumus omnia ipsi facere. Postea vobis monstrabimus a l i a s s u p e l l e c t i l e s .

MULIER: Num sunt sat stabiles!

SPONSA: Stabiliore quam tu et nos omnes! Scilicet sciamus quomodo fecerimus! Gluten quoque ab eo ipso fabricatumst...

SPONSUS: Nulla enim fides est in mercibus tabernarum!

MARITUS: Rem bene excogitastis. Sic rebus magis assuefietis. Et melius attendetis, ne affligantur. Vellem – *ad uxorem* – tu nostras res quoque ipsa fecisses.

MULIER: Ita, scilicet ego, ne tu! Talis est iste!



MARITUS: Haud serio hoc dixi. Quod scis!
PATER: Iohannes Segmüller quod fecit, perquam ridiculum fuit.
SPONSA: Equidem nihil umquam ridiculum invēni in rebus, quas tu narras!
SOROR: Ah Maria, parum urbana es!
SPONSUS: Mihi pater videtur narrare mirabiliter!
AMICUS: Bellissimê! Praesertim cum efferat totîus ductûs mucrônês!
SPONSA: At nimis longus est!
SPONSUS: Gerrae!
AMICUS: Graviter! Simpliciter! Dilucidê!
MULIER: Nos quidem vacamus audiendo!
MATER *intrat*: Nunc venit mensa secunda.
PATER: Illam rem narrare possum brevissimê, nonnullis tantum verbis, fortasse sex, septem sententiis, non pluribus...
AMICUS: Heus fragrat ambrosiam!
MATER: Hęc est erneum cum cramo battuto.
AMICUS: Heu paene iam sum saburratus!
MATER: Sume hoc frustum, Iacobe! At ne sumas nimium crami! Quod paululum deficit. Bene sapiat vobis!
SOROR: Cramum battutum comedo libentissimê.
IUVENIS: Verumne?
SOROR: Verumst. Quo complendumst ôs totum, ut videatur vacare dentibus!
SPONSUS: Heus pater, vin' plus crami?
PATER: Lentê, lentê! Iohannes Segmüller exempli gratia solebat dicere: ...
SPONSA: Cramum est bonum. Mater, velim dicas mihi, quomodo fiat!
SPONSUS: Tam bene quam tu, mater, ea numquam sciet coquere!
MATER: Cramo insunt tria ova!
SPONSA: Si tot res induntur...!
SOROR: Necesse est tot res indere. Alioquin cramum non bonum fit.
MULIER: Ova praecipuê!
AMICUS *micciens ridet, ut haereat aliquid in faucibus suis*: Ova, hehehe, ova, haec sunt, haec sunt valde bona...Ova sunt valde bona, excellentissima; alioquin, hehehe, alioquin nihil fiet, hehehe, ova sunt excellentissima..., hehehe. *Cum nemo sibi arrideat, mox ridere desinit et properê comedit.*
SPONSUS *eius dorsum pulsat*: Heus, quid tibi est?
SOROR: Heus ova verê bona sunt!
AMICUS *rem retractat*: Perbene! Excellenter! Ova nullo modo reprobò!
PATER: Ita, ova. Mihi quidem mater tua beata aliquando ovum dedit profecturo. Ego interrogavi: ‚Estne sat durum?‘ – ‚Durissimum‘ illa respondit. Ego credulus ovulum mecum attuli. Nondum...
MULIER *iocosê*: Dicite, læctos quoque ipsi fabricastis?
SPONSUS: Ita, e ligno nucino!
SPONSA: Valde conspicui sunt!
SOROR: Paululum nimis lati esse videntur.
MULIER: Tanti sunt quia ab illis sunt confecti...
MARITUS: Nondum vidisti...
PATER: Potui vobis dare læctos perquam bonos. Ipsâ hereditate acceptos. Qui vetustate suâ sunt pretiosi. Et solidissimi.
AMICUS: Ita, maiores nostri sciverunt, quid facerent.
IUVENIS: Sed illi aliter se gessêrunt.
PATER: Quot homines, tot læcti, *Fridericus Forst* dicebat, qui haud inficetus esse solebat. Aliquando, ut exemplum afferam, ecclesiam intravit, cum pastor iam...



MATER *intrat*: Nunc affero crustula. Vinum ut afferam, adiuva me, Maria!

SPONSUS: Ergo nunc eluêmur!

PATER: Siste, habeo aliquid narrandum de sellis elutoriis. Quod p r i m o narrabo!
Cum hae sellae in usum introducerentur ...

SPONSUS: Primum bibas vinum, pater! Quo lingua tua manebit umida!

Infunditur.

AMICUS: Ipse color vini est mirabilis! Et quam bene f r a g r a t !

MATER: Quid continuo colloquimini, lîberi?

SOROR *corpus retrahit*: Nosne? Eh, nihil! Dixit tantummodo...

MARITUS *ad iuvenem*: Quidnam me ex tribus minutis non desinis calcare? Ego non sum follis!

IUVENIS: Excusa me, cogitaram...

MARITUS: Ita, cogitaras, licet cogitare. At ne calces!

MATER: Da hyalum, Iacobe!

MULIER: Nonne mavis bibere quam pandere dicteria tua? Dicteria tua thelosapientia!
Alio tempore potas immodicê!

Silentium.

AMICUS: At tu voluisti loqui de rebus hereditate acceptis, sermo tuus interruptus est!

PATER: Ita, de læctis. Gratias tibi ago, gratias plurimas! In illis mortuum est non solum unum membrum familiae nostrae, Maria!

SPONSUS: Heus, nunc propinemus in vivos, pater. Bene vobis!

OMNES: Bene vobis!

MARITUS *surgit*: Cari amici mei!

MULIER: Si quid vis habere, habe ôs oppressum!

MARITUS *considit*.

AMICUS: Quid taces? Certê iocata est tua uxor!

MULIER: locos iste non intellegit!

MARITUS: Oblîtus sum. *Bibit*.

IUVENIS *surgit*.

MULIER: St!

MATER: Iacobe, claude colobium, non decet!

Hôc momento temporis foris incipiunt sonare campanae ecclesiasticae.

SOROR: En campanas sonantes, Domine *Mildner*! N u n c debes loqui!

AMICUS: Audite! Sonant p̄rbene! Quadamtenus religiosê!

SOROR *ad sponsum comedentem*: St!

SPONSA: Sine eum degluttire!

IUVENIS *stat in altum erectus*: Si duo homines iuvenes ineunt conubium, casta sponsa et vir vitae tempestatibus maturatus, tum, ut aiunt, cantant angeli caelestes! Si sponsa iuvenis – *ad sponsam versus* – respicit ad pulchros dies puellares, nescio an eius animum subbeat quoddam desiderium submissum, nam nunc eadem exit in vitam, in vitam hostilem – *sponsa gemit* – sed iuxta virum probatum, qui nunc domum condidit, manu propriâ, in casu nostro res ad verbum talis est, ut nunc cum muliere ex animo electâ communicet gaudia et dolores. Itaque in salutem horum iuvenum honestorum, qui hodie primum inter se possideant – *mulier ridet* – deinde in aeternum! Simul autem in eorum honorem cantemus canticum „Necesse est mirari“ *Francisci Liszt*.

Incipit cantare, sed quia nemo concinit, mox considit.

Silentium.

AMICUS *submissê*: Ignoramus hoc canticum. Sed bene locutus es.

SOROR: Singulariter! Quam êloquens es! Fluuius es eloquentiae!